



COLLOQVIVM VNVM ET VICESIMVM

Persōnae: Diodōrus, Symmachus, Sextus

Viae oppidī, quae paulō ante plēnae erant hominum, iam propter tonitrum atque imbrem vacuae **sunt**. Hominēs enim fulgura tonitrumque metuunt neque per imbrem ambulāre **volunt**. Diodōrus quoque cum amīcō suō Symmachō sub tēctō manet. Iterum atque iterum taberna obscūra fulgure clārissimō illūstrātur. Inter tonitrūs amīcī colloquī ac vīnum bibere pergunt. Medicus iam novum pōculum vīnī plēnum tenet. Diodōrus autem pōculum vacuum in mēnsā pōnit et “Tempus iam est” inquit “domum mē redīre. Post merīdiem hōram dormīre soleō.”

10 Symmachus: “Per hunc tonitrum dormīre nōn potes. Manē sub tēctō atque alterum pōculum **bibe** mēcum!”

Diodōrus: “Num melius est bibere quam dormīre?”

Symmachus: “Certē vīnum bibere melius est quam per imbrem frīgidum ambulāre. Ecce vacuae sunt viae. Nēmō per hunc imbrem inter tot fulgura ambulāre audet.”

Diodōrus alterum pōculum vīnī poscit. Tum viam aspiciēns puerum solum ambulāntem videt atque “Vidēsne” inquit “parvum puerum quī nec fulgura nec imbrem metuit?”

20 Symmachus puerum vocat: “Heus, puer! Venī sub tēctum! Nōlī per imbrem frīgidum ambulāre!”

heus! : audī!
sub + *abl/acc*:
manē sub tēctō
venī sub tēctum

Ad vōcem Symmachī puer sē vertit et tabernam adit. Nōn solum ūmida, sed etiam sordida sunt vestīmenta eius, atque faciēs cruōre et sordibus operītur. Itaque Diodōrus nōn cognōscit discipulum suum Sextum, neque Sextus in tabernā obscurā magistrum suum cognōscit.

Symmachus puerum sordidum spectāns exclāmat: “Ō, quam sordidus es, puer! Unde venīs et quō is?”

Sextus respondet: “Ē lūdō veniō et domum eō.”

30

At Symmachus “Nōn rēctā viā” inquit “ē lūdō venīs.”

Hīc taberna novō fulgure illūstrātur. Symmachus cruōrem in faciē puerī cōspiciēns “Quid?” inquit, “unde est cruor ille? Num magister lūdī ōs tuum ita pulsāvit?”

Simul Sextus magistrum suum inter hominēs bibentēs cognōscit et “Salvē” inquit, “magister!”

Symmachus Diodōrō “Tūne” inquit “eius puerī es magister?” “Ita sum” inquit Diodōrus, “Iam discipulum meum cognōscō. Sextus est discipulus meus optimus.”

40

Ad hoc Symmachus “At tū” inquit “magister es sevērissimus, sī discipulum tuum optimum pugnō pulsāvisti!”

Diodōrus: “Ego nōn pulsāvī eum.”

Symmachus: “Sed ecce cruor in faciē puerī. Aliquis ōs et nāsum eius pulsāvit. Quis tē pulsāvit, puer?”

Tacente Sextō, Diodōrus “Certē” inquit “is cum aliīs puerīs pugnāvit et ab iīs pulsātus est.”

Symmachus: “Nōn magistrum, sed discipulum interrogāvī. Tū respondē, Sexte: ā quō pulsātus es?”

Sextus: “Ā Mārcō pulsātus sum. Sed ego ipse Mārcum pulsāvī.”

Diodōrus: “Cūr tū Mārcum pulsāvisti?”

50

Sextus: “Quia puer improbus est. Prīmum dixit ‘mātre meam turpem esse’, deinde mē ‘puerum barbarum’ appellāvit! Itaque eum pulsāvī!”

Diodōrus: “Profectō nōn sine causā Mārcum pulsāvistī. Ego tē nōn reprehendō. Sed quid tū ipse ab eō pulsātus es? Nōn putō Mārcum tam validum esse quam tē.”

Sextus: “Nōn ā Mārcō sōlō, sed ā Mārcō et Titō pulsātus sum. Duo puerī mē unum pulsāvērunt!”

Diodōrus: “Ubi pugnāvistis?”

Sextus: “Pugnāvimus in viā nōn procul ā portā.”

60

Symmachus: “Cūr tam sordida est vestis tua?”

Sextus: “Quia humī iacuī. Sed vestis Mārcī tam sordida est quam mea: is quoque humī iacuit...” Sīc Sextus dē pugnā puerōrum nārrāre pergīt.

Symmachus, postquam omnia audīvit, “Iam satis nōbīs nārrāvistī” inquit “dē pugnā vestrā. Ostende mihi tabulam tuam! Magister iam dīxit ‘tē esse discipulum optimum’.”

Sextus medicō tabulam ostendit, in quā litterae scrīptae sunt.

Symmachus litterās legere cōnātur et “Hās litterās foedās” inquit “vix legere possum.”

70

Diodōrus: “Quid ais? Nōnne pulchrae tibi videntur litterae Sextī? Ego illās litterās laudāvī: dīxī ‘Sextum et pulchrē et rēctē scrīpsisse’.”

Symmachus: “Tūne hās litterās foedās laudāvistī? Neque solum foedē, sed etiam prāvē scrīpsit discipulus tuus optimus! Itane tū eum scrībere docuistī?”

“Ego Sextum pulchrē et rēctē scrībere docuī” inquit Diodōrus, “Dā mihi tabulam!” Et, postquam tabulam in manūs sūmpsit: “Quid hoc est? Tūne hās litterās scrīpsistī?”

80

Sextus: “Quārē id mē interrogās, magister? Certē ego litterās scrīpsī, atque tū eās laudāvistī: dīxistī ‘mē pulcherrimē et rēctissimē scrīpsisse’.”

Diodōrus: “Hae litterae foedissimae ā tē scrīptae nōn sunt.

ferre:
ferō ferimus
fers fertis
fert ferunt

Nōn tua, sed Mārcī est haec tabula. Cūr tū tabulam Mārcī
tēcum fers? Vōsne tabulās mūtāvistis?”

Sextus: “Nesciēbam mē tabulam aliēnam ferre. Sed iam intellegō
Mārcum tabulās mūtāvisse. Eum putō meam tabellam
sūmpsisse.”

Symmachus: “Cūr Mārcus tabellās mūtāvit?”

Diodōrus: “Stultē interrogās, medice. Mārcus patrī suō tabellam

90 Sextī ostendet atque dīcet ‘sē eās litterās pulchrās scrīpsisse’.”

Symmachus: “Et simul Sextus patrī suō hanc tabellam ostendet
atque dīcet ‘Mārcum hās litterās foedās scrīpsisse’.”

Diodōrus: “Rēctē dīcis. Sed neque Iūlius, pater Mārcī, neque
Cornēlius, pater Sextī, filiō suō crēdet. Iam nōn solum Iūlius,
sed etiam Cornēlius dīcet ‘mē esse pessimum magistrum’!”

Sextus: “Meus pater mihi crēdet: scit enim mē nōn mentīrī. Ego
semper vērūm dīcō ac parentibus meis pāreō.”

Symmachus: “Sī id vērūm est, profectō nōn solum bonus disci-
pulus es, sed etiam bonus filius.”

100 Diodōrus: “Bonus filius semper rēctā viā ē lūdō domum redīre
dēbet.”

Sextus: “Ego rēctā viā redīre soleō. Hodiē vērō Mārcus rīdēns
dīxit ‘mē, ut filiolum probum, semper rēctā viā ad mammam
meam redīre!’ Ita Mārcus mē sēcum dūxit.”

dūcere
dūxisse
dūx- < dūcs-

Symmachus: “Ergō nōn parentibus, sed Mārcō pārūistī hodiē.”

Sextus: “Est ut dīcis: Mārcō pārūī — sed paulō post pulsāvī
eum! Iam rēctā viā domum ibō ac parentibus meis nārrābō hoc
quod vērūm est: ‘Mārcum mātrem meam fēminam turpem et
mē puerum barbarum appellāvisse!’ Tum mātēr nōn mihi, sed
Mārcō irāta erit, atque gaudēbit puerum illum improbum ā mē
pulsātum esse!”

110

Hoc dīcēns Sextus ex tabernā exit et domum ire pergīt.